



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





Συμ θεῶν

DISPUTATIONUM
ETHICARUM

XII. & ultima.

De

AMICITIA.

*In Inclytâ VVittebergensi Academia
proposita*

PRÆSIDE

M. NICOLAO HUNNIO
Marpurgensi. Col. Phil. Adjuncto,

RESPONDENTE
JOHANNE LUCIO
Dresdensi.



VVITTEBERGÆ

Ex Officina Johan. Gormani, Anno 1611.





Συνὸ Θεῶν.

DISPUTATIO XII. & ultima.
De
AMICITIA.

I.

*Amicitia est mutua benevolentia ex
virtute nata, non latens.*

I.

Homo præ cæteris est ζῶον ὀμιλιτικόν, καὶ πολιτικόν, quod naturâ sua solitudinem fugit, conversatione amat; quæ illi bonorum civilium causa non postrema; sed multorum etiam malorum scaturigo locuples. Quæ causa? Nil amicitia frequentius; nil eadè rarius: nihil hac voce notius, nihil eadem ignotius. Quot enim quæso amici salutari volūt; imò; qui obsecro, nō volūt, & ceu exigunt? eò, quòd Judæ figant oscula, & salutes dicant Alphonsinas (*Steid. lib. 17.*) Omnes amici verbis, & gestu; ast, quot re, & factò? Diogenis hic opus lucernâ, aut à Momo desideratâ fenestellâ, qua oculis ad cor introspicendum via pateat. Quam, cum Deus, & natura negarint, & tanta sit amicitiaè ὁμωνυμία; tanta in summâ amicorum frequentia penuria, sanè, pernecessarium, veræ amicitiaè naturam ijs, quæ haberi possunt, medijs venari; veros amicos à falsis discernere: hinc namq; commodum comparatur magnum; multa devitantur incommoda.

II. *Perutilis* amicitia tum Reipubl. quæ amicis conversatio-
nibus exædificatur, & conservatur; tum etiam cuius, privato

A 2

non

non saltem, quatenus naturam perficit, & ad bene, beateq; vi-
vendum, seu virtuosè agendum magnum affert momentum; &
conducens τῶν νέοις πρὸς τὸ ἀναμάρτητον, καὶ πρεσβυτεροῖς πρὸς
θεοφιλίαν; τῶν ἐν ἀκμῇ πρὸς τὰς καλὰς πράξεις. 8. Ethic. 1. Ve-
rùm etiam ceu flos quidam est, atque fructus virtutum, & vir-
tuosarum actionum; unde ipsa sponte sua resultat.

III. Porro: amicitia naturalis quædam est, alia civilis. Per
Φυσικῶν naturalem, συμπάθειαν intelligo, qua eximio, & singu-
lari quodam amore diversa copulavit natura per speciei identi-
tatem; unde graculo graculus affidet: per accidentalem simili-
tudinem, sicut diversis plantarum, & arborum speciebus ea in-
tercedit convenientia, ut una vicinior alteri feliciter crescat: per
generationem dum σοργῆν parentes & filij mutuò in seipso fl-
grant. Civilis, πολιτικῆ, qua animi mutuis amoribus ex con-
versatione contractis sibi devinciuntur. Seponimus natura-
lem.

IV. Civilis varia: honesta & inhonesta. Hæc, quam ma-
li fines, & mala media conciliant: quo in numero sunt conspi-
rationes furum, latronum, pyratarum, hæreticorum; inter quos
nulla unquam coisset amicitia, nisi scelera perpetrandi stu-
dio, aut finibus alijs pravis, & illaudatis conjuncti fuissent.
Illa, quam jungunt media non illicita, finesq; non inhonesti.
Eaq; rursus triplex; honesta (strictius usurpato termino) quæ
propter solam honestatem, seu virtutis amorem; utilis, quæ cõ-
modi percipiendi causa: jucunda, quæ ob suavitatem conver-
sationis inicitur. Duas priores veras amicitia species negamus
cum Philosopho 8. Nicom. 3. quòd 1. tales ἔσονται κατ' αὐτὴς φιλοῦσι;
sed propter commodum, aut jocos. 2. Tales φιλοῦσι κατὰ
συμβεβηκός, & κατ' ὁμιότητα 8. Nicom. 5. quia facillè dissolubiles,
cessante videlicet usu & utilitate, similiter & voluptate expiran-
te (quòd quàm facillè, ac citò fiat, notum) aut ejus delectatione
per ætatem mutatâ. Attendimus proinde hoc in loco solam
honestam, tanquam consequens, & effectum virtutis; quæ pro-
pter seipsam & amat, & amatur; adeoq; κατ' αὐτὴν est, καὶ τέλειαι,
& difficulter mobilis, ob fundamentum solidum: ἡ γὰρ ἀρετὴ
μόνιμον. 8. Ethic. 4.

V. Etī

V. Et si verò ἀνίας εἰκὸς τοιάυτην Φιλίαν εἶναι, & vix raris, inventuq; difficilius quicquam, vero, ac sincero amico; attamen consideramus hanc amicitiam, i. qualis esse debet, non qualis semper est. 2. eo modo, & secundum illa requisita, quæ homo amicum comparaturus, quin & alteri sese in amicitiam daturus observare tenetur. Definitionis verò (membratim per 8. & 9. Ethicorum (parisæ) expositionem suppedabit consideratio 1. principiorum. 2. Affectionum propriarum, 3. Effectuum, 4. pugnantium.

II.

Amicitia principia duo sunt εὐνοια, benevolentia, & οὐνοια, concordia.

Benevolentia est amor, propter virtutem, occultus, & ociosus.

I. Benevolentiam dicimus duplicem, theoreticam & practicam. Theoretica bona optat; practica votum ratificare molitur, & ad benefaciendum cum propendet, tum efficaciter benefacere laborat. Prior generalis est, & ad omnes indiscriminatim extenditur; vir namq; bonus nemini non bona precatur: & specialis, ex singulari animi erga quempiam inclinatione bene cupiens. Generalis amicitia quoddam fundamentum sternit, verum remotum: quo fit, ut specialem potius; at potissimum practicum in presentia attendamus.

II. Differt hæc ab amicitia tribus potissimum, i. εὐνοια λανθάνει; est ociosa, nec per officia, & beneficia sese erga alterum declarat, quod facit amicitia. 8. Ethic. 2. 2. Est etiam πρὸς ἀγνώστους; erga ignotos; amicitia ad solos probè notos. 9. Ethic. 5.

3. Φιλίσις μετὰ συνηθείας ἢ δὲ εὐνοια καὶ ἐκ παλαιότητας. ibid.
III. Consideramus præterea benevolentiam, i. subjectum. 2. Causam. 3. Objectum: Subjectum hæc definit regula. Benevolentia (consequenter & amicitia) est inter paucos. Vult Aristoteles 9. Ethic. 10. virum bonum nec ἀφιλον esse, nec πολυφιλον. Ratio: tum, quia pauci viri boni; ὧν μόνων Φιλία ἀδιαβλήτος

§iv 8. Eth. 5. tūm, quōd amicus est ἀλλ' ὁ αὐτός, 9 Nicom 4.
hoc est, alteri sese quasi communicat, & totum in alterum ef-
fundit, quōd pluribus fieri nequit; ut enim pluribus intentus
minor est ad singula sensus; sic benevolentia in unum defixa,
unita est, adeoq; fortior: at per plures dispersa non potest non
cuivis obtingere multis modis debilior, atque infirmior.

I V. *Subjectum* hæ reguæ. 1. *Benevoli* (amici) non sunt nisi viri bo-
ni. Ratio: Amicitia vera ex virtute nascitur & efflorescit; qua
negatâ quomodo dari, & stare poterit amicitia, vel benevo-
lencia? cūm posito consequente per se ponatur antecedens; &
negato antecedente, consequens oppidò negetur. Præterea:
aut uterque, & amans & amatus vitiosus est, aut alteruter.
Sin uterque; non est jam benevolentia, ex qua nasci possit a-
micitia, tūm ob causam modò dictam, tūm, quia ne proximo
quidem parcunt vitia, quoscunque injurijs afficientia; unde vel
inhonestum commodum, vel aliàs scelerum quoddam exerci-
tium, utrumque amicitia inimicum. Si alter virtuosus, alter
vitiosus, rursus vitæ genus oppositum aut planè nullam, aut
certè admodum inconstantem admittit benevolentiam. Præ-
terquam igitur, quod vitiosus seipsum non continebit, quin al-
terum injurijs lacestat, certè dissidebunt studijs, actionibus, ac
consequenter voluntate ipsa; quod benevolentiam aut non ad-
mittet, aut breviter evanescere faciet. Repeto huc illud: μό-
νη ἢ τῶν ἀγαθῶν Φιλία ἀδιάβλητη, 8. Ethic. 5. 2. *Benevolentia*
non est, nisi penes ἀκμαζοντας adultiores. Nam; sicut rationis usus
non est perfectus, nisi ubi ætas perfecta, & cōsequenter virtutis
agnitio in pueris rationis pro tempore impotibus datur nulla.
Etsi hoc fateri oporteat; firmiorem iniri amicitiam, benevo-
lenciam item solidiorem, quæ radices in ætate teneriore egerat.
Dicimus ergò; benevolentiam puerorum nullam dari; nisi ra-
tione fundamenti. Similiter nec in senibus deliris, nisi quōd ad
rudera quæpiam ad id usque tempus residua.

V. *Causam* definimus ad hunc modum; *Benevolentia* (amicitia)
ex sola virtute nascitur. Contradistinguitur hinc εὐνοια vera &
falsa; similiter & amicitia. 1. ab omni seditiosâ conjuratione;
ea quoq; conjunctione, quam contrahunt, qui mutuò suis de-
lectantur

lectantur vel jocis, vel vitijs. 2. ab amicitia fortuita, quam in-
eunt, qui vel in itinere, vel comotationib., aut modo quodam
simili in se incidunt. Requiritur hic enim amor verus, h. est,
non fucatus; non seditiosus, non vanus, non vitiosus; adeoque
non, nisi ex sola virtute natus, dum quis virtutem, quam im-
pensè amat, in altero deprehendit; ac ob hanc, ipsam personam
diligere incipit.

V I. Sed, quid frequentius, quàm inter pocula amicas jungi
manus? easq; ut apparet, veras, firmas, solidas: ubi tamen rara
virtutis mètio? Verum; ante omnia præmittimus, uno actu nul-
lam contrahi amicitiam, quæ plurimos, & sæpè iteratos conver-
sationis virtutis plenæ actus postulat; ac *χρόνος περιποιεῖται καὶ
σωτηρίας*, 8. *Eth.* 4. Extra dubium proinde fuerit, nullam ini-
ri inter convivendum, & quidem actu unico amicitiam. Da-
mus verò; benevolentiam inibi concipi; adeoq; veræ amicitia
semina spargi, & fundamenta poni posse; res namq; ipsa loqui-
tur, mores hominum, & sic etiam virtutem, quin & huic oppo-
sita vitia multum sese exerere in convivijis. Id quod voluit
Aristoteles 8. *Nicom.* 4. inquit: *βέλησις μὲν ταχῆα γίνεται
Φιλίας, Φιλία δὲ 8.* Deinde distinguimus 1. inter causas moven-
tes hominem ad benevolentiam concipiendam: quæ si fuerint
virtus, ac honestas, quidnî veram & solidâ *εὐνοίαν* dixerimus,
& matrem genuinæ amicitia? at; si levitas, scurrilitas, nugæ;
quidvis prius, quàm amicitia substratam benevolentiam dixe-
rim. 2. Inter ebrios, & sobrios. Ebrij si fidem, & amicam conver-
sationem, imò cor totum, ipsamq; animam despondeant, bene-
volentiam contraxisse non protinus arguuntur; deficiente
nimium rationis usu, quem in amicis deligendis oportet esse at-
tentissimum, Sobriorum alia ratio; qui mentis compotes vir-
tute cognitâ & perspectâ ad benè volendum ut alibi; sic etiam
hi peræque possunt esse idonei.

III.

Concordia (ὁμόνοια) est mutua animorum consensio.

I. Concordiam non accipimus latè pro quacunq; dissensionū,
& discordiarum negatione: neq; pro consensu in re quacunq; ;
sed solidâ, & constanti animorū congruentiâ, & convenientiâ,
non



non quidem in una quapiam actione, sed *περὶ τὰ πρακτὰ* 9. *Eth.*
6. neque hæc indiscretè quæcunque; sed *τὰ συμφέροντα* & *τὰ*
πρὸς τὸν βίον ἀνήκοντα. *Ibid.* cap. 5. Ut rejiciatur concordia sedi-
tiosorum, latronum, aut quodcunque malefactum junctis ani-
mis & viribus perpetrantium.

II Consensum verò hunc non oportet perpetuò exquisi-
tum adeò esse; ut nullus unquam, levis etiam existat dissensus:
talis enim nunquam foret dabilis; & tot omninò sensus quot
capita. Verùm; sufficit sic consentire, ut dissensus, qui inter-
cedere potest, nō odium aliquod, aut suspiciones sinistras, vel
simultates pariat. Quapropter inter amicos reprehensiones,
zelum, querelas dari asserimus. Reprehensiones (etsi hæc ad
Φιλίαν τὴν κατὰ τὸ χρήσιμον, quam ideò *ἐγκληματικὴν*, expo-
situlatricem *Aristoteles* 8. *Nicom.* 15. nominat, aut si ad honestam;
non nisi ad imperfectam aut *τὴν κατὰ ὑπεροχὴν* cap. 16. propriè
spectent) quia amici non seposuerunt omnes infirmitates; & a-
micorum est errata amici corrigere. Zelum; quandoquidem
defectus, & errata in amico odio; ipsum verò amicum amore
prosequimur. Querelas, quatenus de inæquali tum *ἀντιφιλή-*
σει, tum beneficiorum, & officiorum *ἀντιδόσει* exurgere pos-
sunt: etsi ab amicitia perfectâ hoc quoque alienum putemus.

III. Quia *ὁμόνοια* consensus est *περὶ τὰ πρακτὰ*; opus est
præsentia. Unde absentiam amicitia ut & concordia (utramq;
in hac quæstione jungimus) obesse arbitramur: juxta Ari-
stotelicum illud: *ἔδειν ἔτως τῶν φίλων, ὡς τὸ συζῆν.* 8. *Nicom.* 6.
Distinguimus tamen 1. inter præsentiam animorum, & corpo-
rum. Illa perpetuò requiritur; hæc non tam ad amicitia pro-
pagationem, conservationem, & confirmationem; quam *γέ-
νεσιν*. Ut amicitia fiat, opus est præsentia; sed ut conservetur,
non item. Interim; ad *ὁμονοίαν* tum gignendam, tum ex-
ercendam præsentia corporum postulatur. 2. Inter absentiam
planè mutam, quæ ne quidem per literarū, vel aliorum amico-
rum internuncium interpoletur: & vocalem, dictis medijs ad
sui ipsius restorationem, aut conservationem utentem: qua-
rum priorem saltem postulatum nostrum repudiat.

IV. 3. Inter

IV. 3. Inter absentiam exigui temporis, & diuturnam. Nec ista obstat amicitia; quin recreatio quaedam est, multo reddens amicitium amabiliore: sed haec quatenus ἡ χάρις ἀπγαία τῆς Φιλίας δοκεῖ λύθω ποιεῖν. 8. Ethic. 6. 4. Inter amicitiam languentem, & vigentem. Ut qualitercunque concordia conservetur, non usque adeo corporum videtur postulari praesentia: attamen; ut eodem semper vigore floreat, continuam requirit restorationem. 5. Inter actum amicitiae (concordiae) primum, & secundum; quorum posterior in mutua officiorum exhibitione consistens intercipitur, salvo priore. οἱ γὰρ τόποι ἢ διαλύσει τῶν Φιλίας ἀπλῶς, ἀλλὰ τῶν ἐνεργειῶν. 8. Nicom. 6.

V. Ut concordia sit mutui consensus; requiruntur duo; aequalitas & reciprocatio. Unde duae regulae; 1. Concordia (amicitia) est amor, & voluntas reciproca. ἐν ἀντιπεπονηθόσι Φιλία ἔστι. 8. Eth. 2. quae ἀντιφίλησις aliàs nuncupatur, hoc est, reflexio amoris, & voluntatis ad idem principium, e quo ortum suum duxerat. Non igitur concordia est; si tu in alterius; non hic vicissim in tua consenserit consilia, & facta: nec amicitia; si non redamatus amaris: natura quippe utriusque relationem importat, ubi relatorum deficiente uno, tota relatio corrumpitur. Et ratio est manifesta: quia duplex aliàs vitium in amicitia obtinere posset: 1. Injustitia: nam amantem non redamare, injustitiae est species cum probitate summo opere pugnans. *Piccolom. grad. 7. Phil. mor. cap. 7.* 2. Odium: non enim infrequens amantem odio haberi. πόσημα. Ergo amor, quo bruta prosequimur, quo divites res inanimas, aurum, gemmas, & res preciosas similes; matres suos infantes amplectuntur nec amicitia est, nec benevolentia; Φίλησις ergo sit, non Φιλία nec ὁμόνοια, quae ἀντιφίλησις, & βέλησις τῆς ἀγαθῆς exigit 8. Nicom. 2.

VI. Aequalitas hanc subministrat regulam, & quidem bimembrem. Concordia (amicitia) est aequalis, & inter aequales. Si inaequalis fuerit, claudicat reciprocatio. Quid? quod ut amicitia; sic etiam concordia, est amor & consensus mutui, & quidem integer, atque perfectus: at ubi inaequalitas, ibi non utriusque integer, atque perfectus; sed fucatus quodammodo & non

B

usque.

usquequaque candidus; qualem amicitia (concordia) non saltem non admittit; sed vel maxime respuit. Interim; suos quoque gradus habet amor & consensus sincerus, juxta quos amicitia pariter, & concordia incrementa capit, & ratione horum inæqualitatem amicitia, aut benevolentia non repudiat; contenta æqualitate candoris, nō efflagitās rigidē & necessitudinis.

VII. *Inter æquales est concordia, ut & amicitia. ἡ ἰσότης, καὶ ὁμοίότης Φιλότης. 8. Eth. 7. 10.* Adimit namq; inæqualitas duo amicitia *προσκειμένα*; quorum prius est *libertas*, quæ non libera, ubi superiorem veretur, ac reveretur inferior; juvenis senem; divitem pauper; dignitatibus, & officijs ornatum is, qui vitam vivit privatam. Quamvis cum sensibili hoc accipiendum latitudine; nam decem fortē coronari divitiarum, biennium &c. ætatis exigua dignitatis præ eminentia tantam honorum distantiam non facit, quæ amicitiam coalescere non sinat; hoc enim insignis demum distantia efficiet: qualis servi & Domini 8. Eth. 3. Dei, & hominis c. 14. exemplis declarat Aristoteles. Et ratio est: quia *ὁ αἰχμώμενος μὴ φιλεῖ, καὶ ἔδειξ ὃν φοβεῖται, φιλεῖ. 2. Rhet. 4.* Alterum est *plena sui ipsius communicatio*: *ὅτι ἐν κοινῶνι πᾶσα Φιλία ἔστ. 8. Eth. 14.* Quisquis enim superior, quā talis, aliquid adhuc sibi ob præ eminentiam servat, quo supra alterum emineat: & inferior tantum, quanto est inferior altero, sibi sese reservat, nec audet communicare superiori.

IX. In specie verò varia est æqualitas: dignitatum, divitiarum, officiorum, ætatis, Religionis, morum, atque virtutis. Quantum ad *dignitatum* inæqualitatem, officit ea non tam contractæ amicitia, quàm contrahendæ. Illa enim servatur 1. fundamentaliter ratione amoris, seu principij *εὐνοίας*, 2. κατ' ἀναλογίαν, & cum aliqua remissione; servans æqualitatem proportionis geometricæ; non amplius arithmeticæ; ut *ὁμόνοια* quidē sit, sed remissior, ex parte enim inferioris cedit; ratione superioris cogit quodammodò: quod exacta concordia non permittit. Solvitur inde dubium, *utrum amico liceat precari alteri dignitates, divitias &c.* quæ infesta sunt, atq; infauſta amicitia? Respondemus namq; affirmatē; negantes amicitiam confirmatam his medijs rursus dissipari: quin perficitur non nunquam hac ratione ut fru-

ctum

Etum inde percipere incipiat amicitia p. 70. *ide Placot. 8. ---*
7. Phil. mor. cap. 26.

IX. *Et etum* inæqualitas non parum turbat amicitiam. His enim diversa sunt studia, & fines actionum diversi, at in actionum unitate radicatur generanda amicitia, ut & concordia. Præterea: Perfectissima eorum demum est amicitia, quæ *τοῖς ἀντιοῖς χαίρει* 8. Eth. 7. at: quæ ad lætitiâ provocant juvenes, à senibus non curantur: quæ vicissim senes exhilarant à junioribus nihili fiunt. Patet hinc, cur nec officij qui multum distans præfunt, nec veram alant concordiam, neq; amicitiam: uti sunt, Medicus & Carbonarius, Theologus, & miles, &c. quia nec gaudent, nec tristantur iisdem: nec anguntur, nec exhilarantur iisdem: nec curant eadem, nec negligunt. Quî verò longius animi distare possent ab invicem, nisi hunc ad modum? Eadem ferè *diviciarum* est ratio, nisi, quòd hæ animos extollunt insuper, & haud rarò pares; sæpissimè, & ferè nunquã non inferioris sortis, duriorisq; fortunæ homines præ se contēnere faciunt.

X. *Religionis* diversitas permittatne solidam iniri amicitiam? difficilius est quæstionis. In negantem vel maximè abimus. Etenim, vir bonus qui est, & amicitia contrahendæ aptus, Religionem veram ardentè diligit, falsam perfectò odio prosequitur. Unde actionum, studiorum, finium, consequenter animorum, grandia divortia. Neq; cum ijs facimus qui religionis mentionem posse suspendi, atq; seponi judicant: aliud asserentes conversationem esse qualemcunq; politicam; aliud concordia, & amicitia. Negotia exercere cum infidelibus, ad eosdè divertere, aut etiam hospitio excipere non ducimus illicitum: at, conversari familiariter, seq; totum tradere, & cor in illum effundere, à quo gravissimis in rebus dissides: id verò cum conscientia violatione fieri nequit: atq; ideò concordia (amicitiam) talem impossibilem dicimus & illicitam. Impossibile. 1. quia maximū thesaurū non cōmunicas; & partē cordis præcipuā tibi reservas; imò ab alienas, & horrore maximo refugis. 2. Hinc fit, ut amicitia, vel concordia talis facili momento rursus dissiliat; quo nil magis eidem inimicum. Illicitam; 1. ob incommo- dum dissimulationis, quam capitalem novimus ex *Matth 10. v. 33.*

B 2

Neque

non sal
quos quo
quos amici
horum in
adiat; con
essitudinis
s duo ami
libera, ubi
nem; divi
itam vivit
aritudine;
&c. ætatis
stantiam
nim infi
i 8. Eth. 3.
ratio est:
ci. 2. Rhet.
ovia πῦσα
is, aliquid
erum emi
sibi sese re
atum, divi
que virtutis
ontam con
ratur 1. fun
2. κατ' ἀνα
tem propor
μύοισι quidē
one superio
on permittit.
eri dignitates
Respondemus
in his medijs
atione ut fru
Etum

Neque excusat eam in amici gratiam admissam; cum nunquam non sedulo tractanda religio, cuius natura non patitur abscondi, quicquid tandem excusationis prætendatur. 2. ob periculum seductionis: quod toties inculcat Dominus *Exod. 23. v. 32. Deut. 7, ver. 3.* correspondente Apostolica ab Ethnico mutuata sententiâ *Φθείρασιν ἢθη ζῆσι ὁμιλίαι κακῆ* 1. *Cor. 15, v. 33.* exemplum suppeditante sapientissimo rege Salomone. 1. *Reg. 11. v. 7.*
XI. Cum primis verò morum postulat, ac virtutis æqualitas, 8. *Etb. 10.* non tam, quoad gradum, quam *ἰσότης*. Ubi enim mores, ac virtus dissident, convulsam est vinculum, quod amores coalescere facit: at, hoc deficiente, qui jam confisteret unio?

IV.

προσκειμενον *amicitia præcipuum est duratio.*

I. Duobus præcipue modis *duratio* contingit amicitiae. 1. in generatione sua, quatenus multum requiritur temporis, usque dum perfecte coalescat; eò quòd multa indigeat probatione amicus; qualis non est, nisi cum quo salis modium prius absumseris. 2. In continuatione. Ratione cuius etsi perpetua rectus, quàm durabilis nuncupanda videatur, quòd (naturam ejus si spectes) nunquam per seipsum evanescat: attamen; quoniam multa *συμβεβηκότα* vim amicitiae facere deprehendimus, diuturnam pronunciare maluimus; idq; propter soliditatem fundamenti, quod fixum firmum prolixâ confirmatione & iactū, & confirmatum est, ut non qua vis levi aurâ difflatur, ac non, nisi maximâ cum violentia rursus eruat.

II. Addi potest & alterum, minus tamen proprium amicitiae adjunctum, *indeterminatio*, qua neque sexus discrimen, nec fortunæ, aut ætatum differentiam attendit. Nec minus inter feminas locum habet, quàm viros; pauperes, quàm divites; juvenes, ac senes: imò; quousq; omninò virtuti via patet, vagatur & amicitia. Ergò & vir cum fœminâ amicitiam colit; pauper cum divite &c. licet cum quadam graduum remissione id fiat: uti suprâ dictum.

V. *Esse-*

V.

Effectus amicitiae est bonorum communio.

Quid tritius, quam κοινὰ τὰ φίλων; amicorum bona sunt communia? id quod obtinere putamus, attamen 1. non κτήσεως ratione, verum χρησεως saltem. Est namq; comes amicitiae perpetuus ἐνεργεσία, qua bonis suis, omnibus quibus potest modis prodest amico, ejusq; commoda sedulo juvat. 2. Determinatur hæc bonorum communitas & ἐνεργεσία virtute & amicitia; quæ non patitur vel contra voluntatem amici, vel in ipsius dedecus, infamiam, & damnum quicquam moliri quemquam. Idcirco non licitum rapere amico proventus agrorum, pecudes, uxorem, aut quascunque opes alias: etsi, quantum honestas, amicitiae natura patitur, & bona cum pace possessoris fieri potest, usus horum omnium facile concedatur.

VI.

Pugnant cum amicitia quadam directim, quadam oblique.

I. Directim pugnare dicimus ea, quæ immediatè & per se naturam amicitiae evertunt. Horum quædam generalia, quædam specialia. Generale est quodcumq; morale vitium, turbans conversationem amicam, & virtutem, amicitiae fontem impugnans. Specialia sunt quatuor; inimicitia, adulatio, Φιλαυτία, & amicitiae extrema: Inimicitia formaliter tollit amicitiam quippe negationem ejus directim & essentialiter inferens: Adulatio, quæ utut forinsecus larvam induat amicitiae, & amicabili ejus nomine salutari velit, gravius tamen amicitiam ferit, quam inimicitia, eò quod plus noceat, aut certè ad nocendum paratior. Φιλαυτία vitium est teterrimum & sanorum nemini non vel maximè exosum; καὶ ὡς ἐν αἰχρῶ Φιλαυτίας ἀποκαλεῖται 9. Ethic. 8. Non interim damnamus laudabilem istam ac veram, secundum quam temperantiã, & honesta

B 3 sibi

nunquam
ur abscon-
ob pericu-
ad 23. v. 32.
mutuata
23. exem-
11. v. 7.
utis aqua-
Ubi enim
quod amo-
eret unio?

itiae. i. in
is, usque
atione a-
us absum-
ecua recti-
uram ejus si
quoniam
ditus, di-
tatem fon-
ne & jactu,
ac non, ni-
urum amici.
crimen, nec
mibus inter
divites; ju-
atet, vagatur
colit; pauper
ione id fiat:
V. Effe-

sibi vendicans sui amans dicitur; verum alteram culpabilem,
ac fallam, quo in sensu Φίλαυτοι dicuntur, οἱ ἑαυτοῖς ἀπνεύ-
μοντες τὸ πλεῖον ἐν χρήμασι, καὶ τιμαῖς, καὶ ἡδοναῖς ταῖς σωματι-
καῖς 9. Eth. 8. Quomodo verò talis Φίλαυτος amicitiae pos-
set esse idoneus, qui alios praese se contemnit, conversatione sua
indignos iudicans; idcirco se non communicat alijs, nec aequa-
litati ulli, morum cum primis, locum relinquit.

II. Extrema duo sunt; ὑπερφιλία, infans amor, quo in
gratiam amici nihil non tentare audet, etsi maxime honesta-
tem cum patria, & religione violat; qui grandis excessus nec
virtuti, nec fini amicitiae congruit. Et μισανθρωπία, fuga
hominum, & conversationis averfatio; etsi ea naturalis sit, in
melancholicis, sive adscititia tum apud eos, qui in solitu-
dine enutriti; tum Monachos, & Eremitas, hominum con-
versationi cultus, & religionis gratia se subducentes. Dum
autem extrema tribuimus amicitiae, virtutis naturam ipsam i-
mitari significamus, quamvis revera, & proprie virtus non
sit; sed toto genere ab ea dissideat. Etenim: si qualitas, seu
virtus esset; non versaretur utique intra amicos, adeoque con-
sisteret etiam alterutro amicitiae renunciante. Jam verò
cessat amicitia, quando vel moritur alteruter, vel ex una sal-
tem parte dissolvitur. Quod argumento est; non inesse ami-
citiam subjective ad modum accidentium absolutorum; sed
intra subjecta distincta versari; adeoque non qualitatem esse,
sive virtutem, sed relationem. Id quod etiam praedicandi
modus demonstrat; semper ad correlatum respiciens; ut
non dicatur amicus, nisi alteri cuidam amicus.

III. Oblique cum amicitia pugnant 1. defectus corporis,
dementia, sive insania, caecitas, surditas: faciunt quippe hi
defectus, ut nec amicitiam exercere taliter adfectus possit;
nec etiam fructibus amicitiae frui; Ineptus ad civilem con-
versationem, virtutum exercitium; aut acceptationem eo-
rum

rum, quæ ab amicitia per se proficiscuntur, 2. Externa
accidentia, utpote locorum distantia; vitæ generis permutatio,
taciturnitas, & si quæ id genus alia: de quibus
in præcedentibus. *Vid. Piccol. grad. 7. Phil.*

mor. cap. 21.

F I N I S.



alabilem,
suis à nris
suis ovu
icitia pos
satione sua
nec aqua

or, quo in
e honesta
cessus nec
tia, fuga
ralis sit, in
in solitu
um con
s. Dum
ipsam i
rtus non
litas, seu
oque con
Jam verò
ex una sal
inesse ami
utorum; sed
liratam esse,
m prædican
spiciens; ut

tus corporis,
nt quippe hi
ectus possit;
civilem con
ationem eo
rum



[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like 'INSTITUTION' and 'LIBRARY']



Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



106



Σὺν Θεῷ
 TATIONUM
 HICARUM
 & ultima.
 De
CITIA.
 ttebergensi Academia
 roposita
 ÆSIDE
LAO HUNNIO
 Col.Phil.Adjuncto,
 PONDENTE
 NE LUCIO
 resdensi.
 TTEBERGÆ
 n. Gorman, Anno 1611.



Inches
 Centimetres
 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue
 Cyan
 Green
 Yellow
 Red
 Magenta
 White
 3/Color
 Black

